



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. I. Si quis bina sponsalia cum diversis contraxerit, quænam sint servanda?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

TITVLVS IV.
DE SPONSA DUORUM.

§. I.

Si quis bina sponsalia cum diversis contraxerit, quanam sint servanda?

SI quis sponsalia de presenti, sive matrimonium, contraxit successivè cum duabus, debet adhærere primæ; si verò prius contraxit sponsalia de futuro cum una, & postea per verba de presenti matrimonium cum altera debet adhærere secundæ, prout sumitur ex *Duobus 1. h. t.* in priore enim casu non poterat cum posteriore matrimonium contrahere, priori jam legitimo vinculo obligatus matrimoniali; in posteriore verò casu, cum priori vinculo sponsalium de futuro, novum & fortius vinculum sponsalium de presenti, sive matrimonii superveniat, consequenter ad hoc posterius tenebitur, non autem ad prius.

§. II.

An sponsalia de presenti dissolvantur per sequens matrimonium consummatum?

Respondetur negativè, juxta *c. Licet 3.* & juxta *c. Tunc 5. h. t.* cum enim vi primi matrimonii, quamvis ratum illud sit tantùm, dominium corporis ad potentiam copulæ translatum jam sit in uxorem, consequenter non potest vir

v. g. qui jam non est dominus sui corporis ad potentiam generandi, in aliam transferre ad hunc finem: & hinc, quavis per sponsalia de futuro alicui obligatus, possit cum tertio contrahere de presenti, cum vinculum illud indissolubile non sit, licet propter fidem fructum pariter affici possit, & obnoxia fuerit illi alicui; non potest tamen, que de presenti desponsat alicui per verum matrimonium fuit, cum ullo altero, vivente priore marito contrahere; & si contraxit de futuro cum aliquo, ab hoc separari debet, & neque mortem prioris mariti huic cubere potest, ne occasio captandæ mortis prioris mariti detur, si tamen cum postea hoc accesserit copula, prout requiritur impedimentum criminis, de quo infra.

§. III.

An appellans in causa matrimoniali, possit lue pendente, cum matrimonio contrahere?

Affirmatum hoc jam est in *T. 1. h. t. de Libris, Sess. 6. §. 2.* sub debita limitationibus, qua ibi videri possunt, cum litis pendentia non sit impedimentum dirimens. Videatur etiam *c. Tunc fraternitas 4. h. t.* ex quo etiam habetur, quod separari quidem hi taliter contentiones debeant, ne multorum adulteriorum detur occasio, si postmodum appareat, quòd prius matrimonium de quo